

115. Instrumentum testamenti
di Antonio de Vitellis

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*115. Instrumentum testamenti
di Antonio de Vitellis*

1421-07-27

(c. 106v) In nomine domini nostri Iesu Christi amen. Anno a nativitate ipsius millesimo quatricentesimo vicesimo secundo, regnante serenissimo domino Ludovico tertio Dei gratia Hierusalem et Sicilie rege, ducatus Apulie, principatus Capue et Andegavie, comitatum Provincie, Cenomanie et Forcalquerii ac Pedimontis, regnorum vero eius anno quinto feliciter amen, die vigesimo septimo mensis iulii, quatedecime indictionis, apud civitatem Potentie.

1

. Nos notarius Ciccus notarii Iacobi Ing(anu)lo de Potentia iudex regius ad contractus per provincias Basilicate, Principatus citra seras <sic> Montorii, Thomasius Strambus de Potentia publicus ubilibet per provincias Principatus citra et ultra serras Montorii, Capitinate <sic> et Basilicate regia autoritate notarius et testes subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto puplico fatemur atque testamur quod predicto die nobis predictis iudice, notario et testibus ad requisitionem et preces nobis factas pro parte Antonii de Vitellis dicti Lacte de Potentia, personaliter accersitis ad domum dicti Antonii sitam intus dictam civitatem Potentie, in parrochia ecclesie Sancti Michaelis, suis loco et finibus limitatam invenimusque eundem Antonium in sala dicte domus infirmum, iacentem in lecto, sanum tamen mente ac in certa sui memoria et locutione pariter existens, In documento, sotto l'anno 1422, va ricondotto al 1421, cui corrisposero la XIV indizione e l'anno di regno, computato per anni interi dal 29 aprile 1417, anno di morte di Luigi II, padre del terzo Luigi, appoggiato già dal 1417 da Martino V nella contesa per il trono meridionale.

considerans statum fragilem humane na(tur)e et quod nil certius morte et nihil incertius hora eius et quod mors nullis auxiliatur potentiis nec auxiliis suffragatur, nec argento vel auro redimitur, nec potest quomodolibet evitare, volens saluti sue anime providere et bona sua disponere et salubriter ordinare, ministrante sibi gratia Salvatoris, ut inter heredes et successores suos nulla post eius obitum discordia oriatur ac timens, ne quod absit, decideret <sic> intestatus, bona, ut predicatur, fruens memoria et sano sensu presens suum ultimum nuncupativum in nostrum qui supra iudicis, // (c. 107r) notarii et testium subscriptorum in uno et eodem contestu, in modum quod sequitur condidit testamentum seu ultimam voluntatem et condere dignum duxit. Quod quidem testamentum dictus testator valere voluit et mandavit iure testamenti et, si iure testamenti valere forsitan non <valere> vel non valebit, saltem valere voluit et mandavit iure codicillorum, donationis cause comortis et cuiuslibet alterius ultime voluntatis, prout melius et de iure valere potest et debet et debitam efficaciam obtinere, epistole donationis causa mortis, ita quod in omnem eventum et casum dictum testamentum et contenta in eo realiter exequantur et executioni debite demandentur iuxta voluntatem, ordinem et modum testationis affati, cassans idem testator, irritans et annullans, ex certa sui scientia, omnia alia testamenta, codicillos seu ultimas voluntates per eum huc usque ab hactenus condita vel etiam ordinata seu ordinatas, sub quacumque verborum serie sive forma, volens et mandans quod hec sic ultima sua voluntas et quilibet sibi quocumque modo et iure subcedens, ipsam tenaciter et efficaciter teneat adimplere. In primis, quia heredis in[stitu]tio cuiuslibet testamenti dignoscitur esse capud, dictus testator instituit

et fecit sibi heredem Catarinam de Vitellis sororem suam, cui legavit nomine hereditatis t(a)r(en)os decem de carlenis tantum et non plus et voluit quod sit contenta et non possit plus petere de bonis suis mobilibus et stabilibus; item legavit pro malis ablatis incertis terras tres; item elegit canonicam sepulturam intus ecclesiam Sancti Michaelis de Potentia, cui legavit pro dicta sepultura in carlenis t(a)r(en)os quindecim; item legavit clericis predicte ecclesie pro fiendo officio et celebrando in die obitus sui in obsequio suo ad arbitrio suorum epitroporum; item legavit pro missis celebrandis in die obitus sui t(a)r(en)os tres; item legavit // (c. 107r) dicte ecclesie pro separatione t(a)r(en)os duos; item legavit pro reparatione ecclesie Sancti Iacobi de Potentia tarenum unum; item legavit in reparatione ecclesie Sancte Lucie de Potentia tarenum unum; item legavit donno Nicolao de Poeta terras cum macla que sunt in contrata Macle Donni, durante in vita sua tantum et post mortem remaneant ad ecclesiam Sancti Michaelis predictam; item legavit ecclesie Sancti Gerardi de Potentia terras que sunt in contrata Gallitelli, que sunt pro indiviso cum dicta ecclesia; item legavit ecclesie Sancte Trinitatis dicte civitatis et ecclesie Sancti Spiritus eiusdem civitatis, comuniter et insimul, vinealem quod <est> ultra vallonum Mendarali, confinatum iuxta vineam Comminelli de Yselcia; item legavit ecclesie Sancti Laurentii, de ordine Cartanien(si) de Potentia, petium unum terre quod est in contrata Gallitelli, prope ecclesie predicte terras; item legavit ecclesie Sancte Lucie de Potentia p[e]tium unum terre in contrata Gallitelli, quod fuit Serdelle de Clappo et est in medio; item legavit ecclesie Sancti Lazari civitatis predicte, petium aliud eiusdem terre in contrata Gallitelli predicti, quod fuit Serdelle, quod est

in inferiori parte; item legavit donno Nicolao de Porta vinealem unum in contrata Mendareli, confinatum iuxta vineam testatoris predicti a parte superiori et inferiori est vallonus supradictus, amore consanguinitatis, de quo idem donnus Nicolaus possit agere et repartire tanquam de re propria sua. Item voluit et mandavit ipse testator quod omnes terre predictae legare ecclesiis predictis sint donno Nicolao predicto vita sua durante tantum in beneficio et postea revertantur ad ecclesias supradictas, prout declaratum est; item legavit donno Nicolao predicto et donno Bartholomeo Paracampo, in beneficio, vineam suam in vita eorum tantum et post mortem ipsorum relinquitur et detur duobus aliis // (c. 108r) clericis Sancti Michaelis predicti, qui orent pro eius anima et parentum eius; item voluit ipse testator quod dicta vinea sit separata et sorcita equaliter pro medietate per manus donni Nicolai predicti et predictus donnus Nicolaus eligat primo partem quam voluit et postea partem restantem recipiat donnus Bartholomeus predictus et si donnus Bartholomeus illam partem evenientem sibi dicte vine# noluisse seu noluerit recipere, idem donnus Nicolaus dictam partem vine# det uni altero clerico ecclesie predictae. Item legavit donno Nicolao de Porta predicto domum unam ubi habitat predictus testator, sua vita durante, in beneficio, ut oret pro anima sua et parentum eius et post mortem ipsius donni Nicolai legat uni altero clerico ecclesie Sancti Michaelis predicti ut oret sicut predictum est, in beneficium et cum granariis que in predicta domo sunt et cum omnibus aliis asiamentis donatis. Item legavit donno Antonello de Zaula botticellum unum ad tenendum vinum, ad quod tenetur sibi; item legavit Antonello de Porta vegetem unam ad tenendum vinum capacitatis vini

salmarum trium cum dimidia, amore consanguinitatis; item legavit Mornetie nepte donni Nicolai predicti arcam unam de spolis, amore consanguinitatis; item legavit hospitali Sancti Spiritus de Potentia cultrem unam et mataratium unum. Item legavit hospitali Sancti Iacobi de Potentia mataratium unum et culcitrem unam que fuit magistri Angeli de Ziptio et si idem magister Angelus illam voluerit redimere pretio quo stat, detur et pecunia recaptus detur hospitali predicto. Item legavit donno Antonello de Zaula, patrino suo spirituali, terram unam; item et mandavit expresse ipse testator quod solutis legatis in dicto testamento, omnia que supererint sint ad manus suorum subscriptorum epitroporum // (c. 108v) distribuenda per eos, secundum commiss(ionem) et voluntatem ipsius testatoris factam et datam epitropis prout voluerint; item legavit predictis suis epitropis, pro eorum fatigiis, pro quolibet ipsorum tarenos duos; item legavit cuilibet testi interfuenti in dicto testamento, grana quinque et ipsam voluit suam esse ultimam voluntatem; item elegit sibi epitropos suos et fidei commissarios sui presentis ultimi testamenti Antonium Zappam licet absentem tanquam presentem; donnum Nicolaum de Porta et donnum Antonellum de Zaula de Potentia, quibus et cuilibet ipsorum dedit plenariam et liberam potestatem et generalem intrandi, capiendi, vendendi, alienandi, et percipiendi tantu(m) de bonis suis, quod presens testamentum et contenta in eo sine contrarietate suorum heredum et successorum plenarie exequantur et debite exequutioni mandentur; et voluit ipse testator quod si aliquod punctum, dictio vel clausula inveniretur deesse in dicto testamento, unde possit in aliquo modo infringere seu annullari, quod ad meliorem consilium sapientium possit refici semel, bis, ter et quotiens opus

fuerit, non mutata substantia veritatis, ita ut semper testamentum prefatum iuxta voluntatem et mandatum eiusdem testatoris ut per omnia declaratur, in proprio robore perseveret. Unde ad futuram memoriam et dicti testatoris preces et omnium quorum et cuius interest et poterit interesse certitudinem et cautelam, factum est exinde presens publicum instrumentum testamenti per manus mei predicti notarii, signo meo solito signatum, mei qui supra iudicis et subscriptorum testium subscriptionibus roboratum.

2

3

4

5

6

7

8

9

10

Quod scripsi ego predictus Thomasius publicus ut supra notarius qui premissis omnibus rogatus et vocatus

Così S per mortis

Così S per sit

Così S per reparatione

Così S per Porta (da docc. coevi)

Così S per cartusiensi

Così S per legate

Così S per recapta o recepta

Così S per donec

Così S per electionem

interfui ipsumque meo solito et consueto signo signavi.
(SN) Ego qui supra notarius Ciccus ad contractus
iudex // (c. 109r) Ego donnus Nicolaus de Secelliano
testis interfui Ego presbiter Nicolaus de Porta testis
interfui Ego donnus Nicolaus de Martino testis interfui
Ego presbiter Angelus Zappa testis interfui Ego donnus
Antonellus de Zaula testis interfui Ego presbiter
Bartholomeus de Paracampo testis interfui Ego donnus
Angelus Grossus testis interfui Ego donnus Ianucius de
Quatuor Oculis testis sum